

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**

**Francofurti et Spirae, 1684**

**VD17 VD17 3:315948Z**

CCLXVI.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

verò ipforum propinqui intelligunt, quantum interfit, ut nobilitas, quæ ad literas & morum elegantiam elaborat, præceptores habeat idoneos, nos majorem in modum rogarunt, ut ad vos diligenter accuratèque perferberemus ac rogaremus, ut pro vestra egregia prudentia & doctrina, pium aliquem, sobrium, & eruditum præceptorem, præficiatis his Baronibus. Deinde si forte ille officium non faceret, id vel propinquis ipforum vel certe nobis, primo quoque tempore significetis, ut alius substitui ei possit. Nolumus autem nos pluribus ad hoc officium præstandum invitare: nam cum omnem curam & diligentiam in eo ponatis inprimis, ut juvenus pietate & literis erudiatur, non dubitamus, vos in eo sedulo elaboraturos, ut nobiles illi adolescentes & meliores ad suos redeant & doctiores. Quæ res & DEO Opt. Maximo probabitur, & vos nomine diligentæ commendabit omnibus. Digni autem inprimis hi adolescentes sunt, ut eorum ratio habeatur: nam ipforum parentes & majores ad propagandum Evangelium Christi summo & indefesso studio contenderunt, & quidem non sine periculo: propterea filii, qui vestigiis illorum successuri sunt, digni certe videntur, quorum studia omni via ac ratione promovèantur. Bene & felicissime in Jesu Christo valete, viri Clarissimi, Datæ IIII. Non. Octobr. Anno Salutis 79.


D. D. V.

Deditissimi

Theodoricus Sneyffius, D.  
Jacobus Heerbrand, D.

Inscriptio:

Venerandis ac Clariss. viris, pietate, eruditione, sapientia, autoritate præstantissimis, S. Theologiae Doctoribus, & Professoribus; D. Johanni Marbachio, Ecclesiarum Argentinenſium Superintendenti digniss. & D. Joanni Pappo, Evangelium Christi Argentina in summo templo, fideliter docenti, Dominis & amicis suis colendis.



CCLXVI.

Salutem in Domino.

Gratias tuæ R. ago, Vir Clarissime, non modo pro donato libro, sed etiam pro suscepto labore, in Tossani mendaciis & calumniis refutandis suscepto. Exemplar quod R. tua Illustrissimo nostro Principi dono misit, unâ

unà cum epistola ipsius Celsi. inscripta, statim ad Illustrissimum Principem nostrum misi. Et quia non modo loci distantia, verum etiam aliæ complures occupationes inciderunt, tabellarius ante hodiernum diem dimitti non potuit: interim iussus est in aula cibum capere. Munus, quod Illustrissimus Princeps meus mittit, R. tua boni consulat, atque in animum donantis respiciet, qui candidus est, & R. tuam favore sincero complectitur.

Tossano an denuo respondere velim, tum deliberabo, cum illum laborem in manus sumere voluero: jam enim magis necessariis &, ut spero, utilioribus occupationibus ab ea militia avocor. Video istud hominum genus fecundissimum esse in excogitandis & gignendis subinde novis mendaciis & calumniis. Nisi Sturmius ipse respondeat, vix credo me cum cæteris larvis Cinglianis luctaturum. Hic enim scopus meus est, ut Ecclesia erudiatur, non autem, ut omnium curiositati satisfaciam. Sturmium non metuo, sed nec Bezam ipsum. Non enim de eloquentia, sed de veritate certamen est. Veritate igitur nixus, Domino meo juvante, vincam, imò vincet & triumphabit Christus, etiam si ego eruditione & eloquentia sim inferior.

In communi & maximè necessario Concordiæ negotio promovendo nihil negligitur. Et Illustrissimus meus Princeps, ea in re suum officium faciet, idque, ut existimo, brevi. Tua R. cum collegis unà nobiscum Dominum invocabit, ut pios piorum Electorum & Principum conatus secundet. Bene & feliciter tua R. valeat, & ex me sanctum Ministerii Vestri Senatam reverenter & officiose salutare non gravetur. Datæ Studgardiae, 20. Octobris, Anno DOMINI, 1579.

R. tua,

Studiofiss.

Lucas Osiander, D.



CCLXVII.

*Salutem in Servatore Christo. Reverende & clarissime*

*D. Doctor, amice & frater charissime.*

ET si non dubito, fratrem, D. Erasmus, de rebus omnibus ad te copiosè scribere, ipse tamen, ne scribendi hoc officium intermittamus, aliqua commemorabo. Ac initio satis jam hoc constat, debere hanc urbem *ovtheta* DOMINO, qui eam contra fraudulentas machinationes latronum Gallicorum mirabili-

G g g g 2

148